

89. Qui modus physicus in Miraculis etiam interdum locum habet, ut Exod. 7, 15. ὁ ῥάβδος ἐγένετο ὄφεις: Ioh. 2, 9. τὸ ὕδωρ οἴνον γεγενημένον.

90. Verum in mysteriis, quale est & Unio hæc Hypostatica, significatio ista physica admitti nulla ratione potest, docente quippè scriptura, sic esse factam Incarnationem, ut idem Christus utrumque simul permanserit, verus Deus & verus homo.

91. Consequens ergò fuerit, verbum γίνεσθαι longè alio sensu, & eo quidem esse accipiendum, quem Epistola ad Hebræos κοινωνίας, μεθέξεως καὶ ἐπιλήψεως vocabulis exprimit. cap. 2. 14, 16.

92. Iam ut κοινωνία μεθέξις καὶ ἐπιλήψις, in eo, quod per omnia unum idemque est, minimè locum habent: sed ut minimum inter duo sic tamen separata, ut in uno aliquo revera participent: Ita phrasi istâ, naturarum in Christo veram unionem earundemq; arctum atque admirandum commercium innuere Spiritus sanctus voluit.

93. Exemplo admodum convenienti, ex creationis opere petito, Orthodoxi Theologi descriptionem istam Evangelistæ explicare solent: Cum enim Deus corpus hominis formasset de limo terræ, postea verò inspirasset illi